











MicroChamber ©
Beschermd
KB



ISAACI VALCKENAER

ORATIO

DE

PACE, ALMA HUMANITATIS NUTRICE.

Dicta publice in Curia Urbis Leovardiæ, A. D. VII. Id. Dec. CIƆ. IƆC. XCVII.

Quum Rector Gymnasii litterarii ibidem inaugureretur.



LEOVARDIÆ.

Ex Officina HERONIS NAUTÆ, Bibliopolæ ac Typographi. CIƆ. IƆC. XCVIII.



AMPLISSIMIS, PRUDENTISSIMIS, & SPECTATISSIMIS FLORENTISSIMÆ CIVITATIS LEOVARDIENSIS MAGISTRATIBUS;

CONSULIBUS:

LAMBERTO FENEMA.

JARICHIO BANGA,

RATIONIBUS REIPUBLICÆ FRISIACÆ RECOGNOSCENDIS QUATUOR-VIRO.

CORNELIO STRIGELIO I. U. D.

EPÆO WIELINGA,

ILLUSTR. AC PRÆPOTENT. FRISIÆ ORDINUM DELEGATO NOVEM-VIRO.

SCABINIS.

ZACCHÆO ABBEMA.

JOHANNI EMMENES.

BENNONI BOURBON.

FEI-

FEITONI WESSELIO I. U. D.
HORATIO VITRINGA.
VIGLIO CRANS I. U. D.

ÆDILIBUS:

CORNELIO HARMANNI VISSCHER.
RINTIO HOOGHSLAG.

UT & CONSULTISSIMO AC INTEGERRIMO VIRO,

MEINARDO DOTINGH I. U. D.

IISDEM AB ACTIS & DECRETIS.

GYMNASII LITTERARII, EJUSQUE MODERATORUM PATRONIS AC MÆCENATIBUS BENIGNISSIMIS

S. P. D.

ISAACUS VALCKENAER.

Qui sui fœtus ingenii præclaris Viris dedicare in animum inducunt, id sibi negotii credunt vel inprimis dari, hujus sui consilii causas publice ut ostendant, atque approbent. Quodcum operosius nonnunquam faciant; tum illud tamen fere apparet, magis esse humanitatis eorum, quam vel officii, vel muneris. Ego vero, cum hæc in publicum edenda esset scriptio, pulchre videbam de nulla istiusmodi re mihi quicquam esse laborandum. Nam quis, quæso, sit tam insulsus, qui, nisi me credat ab omni etiam Humanitate, quam in fronte ipsius Orationis profiteor, alienissimum; titulo lecto, non extemplo per se judicet, eam nulli alii, quam Vobis, Viri Amplissimi, consecratam esse, vel certe consecrandam? Quod si mei arbitrii, meique consilii res simpliciter fuisset; ego, ut modeste semper de me, meisque sensi artibus, intra privatos eam cancellos haud dubie conclusissem. Iam vero cum id sine injuria & Vrbis, & Scholæ vestræ facere non potuerim; est profecto, quod mihi gratuler ac gaudeam, tales ei obtigisse Patronos, quibus nihil fieri potest humanius, nihil litterarum amantius. Vos enim ii estis, per quos effectum est, ut hæc Vrbs majorem indies præ se ferat Humanitatem, iisque exsplendescat ornamentis, quæ ad commoditates civi-

um pertinent: eo cultu, nitore, ac venustate viarum, ædificiorum, nemorumque, ut nulli, ne politissimæ quidem in Batavis concedat. Vt jam non dicam, quanta cura, diligentia, ac benignitate conservetis, ornetis & augeatis Scholas, veras illas Humanitatis officinas. Quare quam præclare mereamini, non tantum de civibus vestris: sed & de omni nomine Frisiaco, quis non videt? Sed ne longiore sermone vestra remorer tempora, desinam, id unice orans, uti hæc solennia mei apud Vos muneris auspicia lubenter audivistis; ita eadem nunc repræsentata placido vultu, ac benevolo recipere velitis animo: atque ita habeatis, tum demum voti me damnatum fore, ubi quotidiana Spartæ curatione Vobis placere, laborisque mei fructus approbare potuero. Valete Viri Amplissimi, remque publicam bene ac feliciter diu gerite. Leovardiæ prid. Kal. Ian: CIↃ: IↃC. XCVIII.

ISAA-

ISAACI VALCKENAER

ORATIO.

NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, PRUDENTISSIMI HUJUS URBIS PROCERES;

QUIQUE IIS ESTIS AB ACTIS ET CONSILIIS VIRI SPECTATISSIMI, CONSULTISSIMI, INTEGERRIMI.

REVERENDI, ERUDITISSIMI MYSTERIORUM DIVINORUM INTERPRETES, SCHOLARUM CURATORES.

HONORANDE CONRECTOR, CÆTERIQUE PRÆCEPTORES SOLERTISSIMI, COLLEGÆ CONJUNCTISSIMI.

QUOTQUOT PORRO ADESTIS, CUM CIVES, TUM HOSPITES, QUACUNQUE DIGNITATE, ARTE, DOCTRINA CONSPICUI.

TUQUE INPRIMIS PRÆSTANTIUM ADOLESCENTIUM LECTISSIME GREX, SPES PATRIÆ, SEMINARIUM ECCLESIÆ AC REIPUBLICÆ.

ETſi natura ipſa ita comparatum eſt, Auditores, ut præſentibus rebus non adeo contentus quisque, futuram ſortem ſibi perſuadeat fore meliorem: blandaque, quamvis fallaci ſpe tantum ſpectet & enumeret commoda, quæ inde percepturus videtur, non ſubductis illis incommodita-

tibus, quæ quaſcunque viciſſitudines humanas comitari ſolent; tamen ejus opinionis, quam ante pluſculos annos conceperam, perpetuoque foveram, tantam nunc ſentio eſſe fallaciam, tantumque errorem, ut vix quicquam magis temere unquam mihi videar ſperaſſe. Nam cum ante novem fere annos adoleſcens admodum ad provinciam hanc ſcholaſticam accederem primum, & ineuntis muneris auſpicium publica oratione faciundum eſſet; ego quidem partibus iis defungebar, tanta cum trepidatione animique inconſtantia, quantam in eam mediocritatem, vel tenuitatem potius, cadere neceſſe erat. Jnterea vero ipſe mihi blandiebar ea ſpe, ſiquando denuo ad hanc aleam vocarer, fore, ut & provectior ætas, & uberior doctrina, & frequentior uſus plus facultatis adferret, quam adgenita hæc

vere

verecundia debilitare me poſſet ac frangere. Sed quanto in errore verſatus fuerim, cum alias ſic ſatis; tum nunc vel maxime intelligo. Jdque, me etiam tacente, abunde declarant & hic oris pallor, & attonitus vultus, & præpedita lingua, & hæſitantia verba. Scilicet non proſpiciebam ego, quæ mentis humanæ cæcitas eſt, neque accurata ſatis ratione ſubducebam cunctas illas conturbationis cauſas, quæ nunc me certatim quaſi circumvallant, & de robore præconcepto dejiciunt: ut hinc pudor meus tenuitatisque ſenſus: inde ſplendor nobiliſſimæ hujus Urbis, præſentia tot graviſſimorum & eruditiſſimorum hominum, ipſaque ampliſſimi hujus loci majeſtas. Nam quid animi creditis mihi eſſe, conſideranti graves atque duras provinciæ meæ partes? Mihi tantum quod adoleſcentiam egreſſo demandari

juventutem splendidissimæ hujus Urbis, florem gentis Frisicæ: meque hodierno die suffici in locum eorum Virorum, quos constat tam singulari fuisse doctrina, tam subacta ac recondita maximarum artium scientia, tanta in docendo subtilitate ingenii, ut eorum æquiparare virtutes, magnum quid: superare extremæ dementiæ videatur. Vos quidem, Auditores, si oculos in me, meamque juventam conjiciatis, non dubito, quin ejusmodi esse existimetis; quod & ego sentio, ut neque ingenii, neque doctrinæ ornamentis, neque usu sim cum illis, multis partibus comparandus. Ac de nostra tenuïtate plura hoc loco dicerem, nisi verendum esset, ne modestiæ causa magis, quam quod vera putem, hæc a me dicta esse viderentur. Illud autem jure suo quis miretur, quæ cuncta mihi pleno diffidentiæ curam

velle

 hanc

hanc injiciunt ; ea vel inprimis fuiſſe, quæ ad ſpartam hanc capeſſendam me impulerint. Etenim cum jam ſextum annum præeſſem illuſtri Campenſium Gymnaſio , meæque informationis fructus perciperem exoptatos ; e ſtatione illa honorifica , commoda , jucunda, nec minus fructuoſa devocari me huc , avellique patior : quamvis Civitatis illius Proceres nihil non agerent , ut me in ea retinerent , propoſito lautiore ſtipendio , aliisque utilitatibus. Quibus ego repugnare nullo modo valuiſſem , niſi præcipuus quidam & incredibilis erga hanc gentem amor me jam præcepiſſet , auresque omnibus precibus & pollicitationibus obſtruxiſſet.

Qua in re pietatis quoque , officiique partes implere mihi videbar. Nam ſiquid eſt in me eruditionis , quod majore cumulo auctum velim , aut

ſiqua exercitatio docendi, in qua jam annos aliquot non prorſus ſine laude verſatus ſum, aut ſiquid alterius artis ab optimarum diſciplinarum ſtudio profectum; earum rerum omnium Tu mea Friſia unice fructum a me repetere jure tuo potes & debes. Tu quippe hoſpitem me & orbum benigne excepiſti, ſinuque molliter foviſti. Tu me rudem & indoctum præſtantiſſimarum artium ſucco largiter irrigaſti. Tu ignobilem me & neglectum hominem in lucem protraxiſti, & ad clavum, non infimæ ditionis tuæ Scholæ collocaſti. Tu altera vocatione tuam erga me declaraſti benevolentiam, honorificumque de conatibus meis judicium, cum lectiſſimæ tuæ ſobolis ſtudia mihi committeres. Hanc itaque vocem, hanc ſolertiam benignitate tua formatam uſibus tuis ſubducere, religio mihi erat:
qui

qui quicquid in me eſt, id tui eſſe beneficii lubens lætusque agnoſco, ſemperque agnoſcam. Id unum velim, Optima Mater, credas tibique perſuadeas, tanto me æſtuare ardore tibi bene de me meritæ gratias referendi, ut, niſi exſpectationi tuæ faciam ſatis, vitam mihi acerbam putavero. Nam ut dicam, quod ſentio, & libere dicam; habet, neſcio quid, ipſius terræ tuæ genius, & indigenarum tuorum indoles, quod animo meo mirifice ſemper placuit, effecitque, ut levia etiam mihi fuerint incommoda illa atque moleſtiæ, quibus conflictabar, aſperiore hoc cælo, ad te proficiſcens: cumque antea bidui vel tridui navigationem difficillime ferrem, ægreque corporis valetudinem ſuſtinerem; nunc animus, præ cupiditate tui, ſuffecerit novas vires.

Miramini forſan, Auditores, longiorem

rem hanc meam præfationem: nam indigne eam vos ferre quo minus putem, facit ſingularis veſtra humanitas, & attentio. Sed dabitis, ſpero, veniam huic meo erga patriam veſtram ſtudio, quod me paulo longius abripuit: ſimulque æqui bonique conſulatis, rogo, quod argumentum tumultuario ſtylo inter varias curas & ſollicitudines conſcriptum, nequaquam eas habet dotes ac veneres, quæ polito & acerrimo veſtro judicio placere, nedum tritis veſtris auribus ſuaves inſidias facere poſſint. Ipſi enim, Ampliſſimi Viri, teſtes eſtis, ut ego omnem exiſtimationis meæ famam, quæ hac in parte verſatur, poſtpoſuerim & abjecerim, modo deſideriis veſtris morem gerere poſſem.

Atque hoc tanto juſtius a me peti contendique arbitror, quo ipſius materiæ licet rudis & indigeſtæ tanta eſt

ſuavitas, ut ejus ſolum nomen, & exilis ſpecies mirificum quendam in omnium audientium ac cernentium animis excitare amorem ſui poſſit. Etenim cum viderem publici muneris auſpicium ab oratione aliqua ducendum eſſe, primo quidem dubius diu hæſi, quod argumentum ſeligerem huic & loco, & tempori, & perſonæ meæ non inconveniens. Cumque aliud ex alio meditarer, & plura non aliena viderentur: cæteris tamen repudiatis, vel in aliam occaſionem rejectis, conditioni præſentium temporum, quibus navis publicæ rei e calamitoſiſſimi belli procellis in amoeniſſimum tranquillitatis portum tantum quod appulſa eſt, & illud dandum videbatur, ut in hac politiſſimorum hominum celebritate potiſſimum agerem de PACE, ALMA HUMANITATIS NUTRICE. Conſideranti quippe mihi ipſum

illud temporis punctum, in quod conferre vocationem meam ſummum Numen voluit: ſimulque diem nuperi mei in hanc Urbem adventus eum eſſe, quo pacis lætiſſima promulgatio fieret, ſingulari aliquo fato ad placidam hanc materiam trahi videbar. Jn qua & illud lætandum mihi arbitror, quod in ea Urbe dicendum mihi hodie eſt, quæ cum primaria eſt Friſiæ, aliasque magnitudine, ſplendore, nobilitate, opibus ſuperat: tum magis hac laude vincit omnes; quod venerabile Muſarum domicilium, ſedemque dulciſſimam ipſa hic collocavit HUMANITAS. Et quod ego maximum duco, dicendum apud Vos, qui pulchritudinem ejus ab ineunte ætate ſic adamaſtis, ut ne hanc quidem hujus vitæ lucem, atque hunc cœli ſpiritum exiſtimaveritis vobis jucundum eſſe poſſe, ſi ejus fructu carere debe-

deberetis. Quare vos tantum breviter oro & obteſtor, ut mihi de pulcherrimo Dei munere ac dono; cujus potiundi facultas ſuperioribus annis ademta, nunc denuo ſuppeditatur, deque maximo Scholæ veſtræ ornamento, in quo excolendo mihi quotidie laborandum eſſe videtis, verba facienti benevolentiam humanitate veſtra dignam tribuatis.

Juvenalis, acerrimus ille Romanæ luxuriæ cenſor, verſus Ciceronis ridenda vocat poëmata: verum hoc Oratoris illius dictum, quamvis metro adſtrictum, quis ſanus riſu, & non ſumma potius veneratione dignum cenſeat?

Cedant arma Togæ: Concedat laurea linguæ.

Nobilis profecto, gravis, ac magnifica ſententia: modo ſua ei conſtare poſſit veritas illibata. Nam quid ais, Marce Tul-

Tulli? Itane vero alto ſupercilio deſpicis illas artes atque ſtudia, quibus Martia gens a tam tenui initio ad id magnitudinis faſtigium adſcendit, quod omnis Orbis adoravit? Itane una ſententia damnas & abjicis cuncta pericula atque labores, quibus excellentiſſimi Viri patriæ tuæ ſplendorem: ſibi ipſis immortale nomen ac decus peperere? Levibus itaque Græculis, vel ſegnibus ac umbraticis quibuſdam doctoribus poſtponis tu fortia illa pectora, & Romulos, & Tullos, & Horatios & Camillos, & Cincinnatos, & Fabricios, & Fabios, & Marcellos, & Scipiones, & Marios, & ipſa illa fortunæ ludibria, Cæſarem ac Pompejum? Non ea quidem, Auditores, prorſus mens Ciceronis, qui contra ſæpe agnovit ac profeſſus eſt virtutem, induſtriam atque labores ſummorum im-

imperatorum, fortiſſimorumque militum multum, imo plurimum valuiſſe ad conſtituendum ampliſſimum illud imperium; ſed tamen omnibus rerum momentis accurate perpenſis, eam pronunciare coactus eſt ſententiam, qua priores partes tribueret Paci, Pacisque artibus. Perſpiciebat enim Vir ille prudentiæ non minus, quam eloquentiæ laude cumulatiſſimus, cujus toga omni ſago felicior atque illuſtior fuit, univerſas illas rerum fortiter geſtarum laudes, omnesque triumphorum & ovationum pompas in tenebris jacere, niſi litterarum lumen accederet. Et, quod noſtro judicio palmarium eſt, exploratum habebat Vir ſagaciſſimus, ſuoque exemplo in opprimenda teterrima illa Catilinæ conſpiratione didicerat, bellicis artibus propagari forſan imperii terminos: augeri Rempublicam provinciis, copiis,

gloria: pacis vero ſtudiis optime eam conſervari et adminiſtrari. Jis enim ſolis acceptum ferendum eſſe omnem ingenii cultum, omnem vitæ elegantiam, morum comitatem, ſplendorem litterarum, prudentiæ ac gravitatis omne pondus: verbo ut dicam, *Pacem Humanitatis esse nutricem.*

Non enim eam tantum dicimus Humanitatem, quæ morum quædam eſt facilitas, animique benivolentia erga quoscunque homines; qua notione vulgo accipitur: ſed quæ priſcis & idoneis auctoribis, ut erudite docet diligentiſſimus antiquitatum & verborum Gellius, ſignificat omnem eruditionem & informationem, quam Græci παιδείαν vocant, complectiturque univerſum bonarum artium chorum, quæ *Humanitatis ſtudia* Ciceroni dicuntur. Nec temere profecto eam huic voci notationem indidi-

didiſſe ſapientiſſimos mortales docet ipſum etymon. Ex omnibus namque animantibus ſoli homini, cæleſti beneficio, privum atque proprium datum ac conceſſum eſt, ingenium variarum rerum cognitione exornare & polire: prudentia ac ratione uti in gerendis negotiis: ſolerti induſtria linguas, diſciplinas atque artes ſibi comparare. Quod quo quis diligentius ac fidelius curæ ſibi habuerit, næ is erit cum humaniſſimus dicendus; tum erga alios reperietur ingenio quam maxime facili, benivolo, pacisque ac ſocietatis amantiſſimo.

Jam vero amabiliſſimæ hujus Humanitatis fontem & originem, imo conſervatricem eſſe Pacem; ejusque tribuendum clementiæ, quicquid illuſtri hoc nomine cenſeri queat, cui quæſo paulum humaniori obſcurum eſſe poteſt? Pax etenim reddit hominem demum hu-

ma-

manum, id eſt, vere hominem: conſervat non tantum, ſed auget, quicquid in eo eſt mitis ac placidi ingenii: ſubjicit eum imperio rationis, emollit aſperos mores: abducit eum a ritu vivendi more ferarum. Pax eſt fons omnium amicitiarum, conjunctionum, neceſſitudinum ac ſocietatum. Quare apud Ariſtophanem poëtarum feſtiviſſimum pax ita compellatur. *O graviſſima regina dea, veneranda Pax, domina chororum, regina nuptiarum! O Veneris atque Charitum ſocia, quam tibi venuſta facies! o dea Pax! tecum da poſſe extendere vitam.*

Quod ſi prima mundi incunabula reſpiciamus, & illic conſideremus hominem ab opifice ſuo recens fictum atque formatum; quam illuſtrem, quam magnificam ac ſolidam illic deprehendemus Humanitatem: ſed cujus fundamentum atque ſcaturigo erat æterna illa Pax: deſide-

ſideratiſſima conſuetudo , jucundiſſima ſimul & glorioſiſſima conjunctio, quæ intercedebat ipſi cum Conditore ſuo ! Ubi illuſtratus radiis majeſtatis ac benignitatis divinæ floreret in ſummo Humanitatis gradu ; tanta luce mentis , tanta perſpicacia ingenii , tanta bonitate voluntatis , tanta tranquillitate & hilaritate animi , notitia denique rerum tam varia atque immenſa , quantam ineſſe oportebat in eo , qui præſtantiſſimæ illius naturæ , quam divinam dicimus , imaginem gereret. Tanta porro lenitate ac manſuetudine erga conſortem ſuam : ejusque viciſſim erga ipſum : indole cunctorum animantium tam placida atque miti , ut vix mente concipi , nedum verbis exprimi a nobis poſſit. Quam quidem felicitatem Poëtas deſignaſſe per mollia ac læta aureæ ætatis tempora veriſimile eſt. At

homine ex arce beatiſſimæ illius Pacis per vecordiam lapſumque ſuum deturbato, quanta illico, & quam deploranda conſecuta eſt amiſſio ac diminutio eximiæ illius Humanitatis! Tantum mutatum eſt ſanctius illud animal, mentiſque capacius altæ, ut feræ nomine potius ac belluæ, quæ in omnem ferociam, atroces iras, ferales diſcordias, fœdas libidines, immanem ſævitiam prona & abjecta eſt; quam hominis nomine dicendum ſit.

Verum enimvero, ubi ſummo illi rerum Arbitro viſum fuit, pro infinita ſua bonitate, in gratiam redire cum perdito hominum genere, ſuamque ultro dulcem ei præſtare benivolentiam; ſtatim quoque reſtitui Pacem, tollique exitiale illud diſſcidium voluit. Hinc quos Pacis illius beneficio affecit, eos omnibus quoque Humanitatis opibus cumulatiſſime

ſime ornavit, ut Enochum, Abrahamum, Iſaacum, Jacobum, Jobum, Joſephum, Moſen, Davidem, Salomona aliosque; quorum ſapientia, eruditio, vitæque integritas, tanquam tot lumina exſplendeſcebant. Quin cum ipſe Deus vindex & aſſertor prolapſi humani generis, auctor, princeps, atque columen Pacis: æterni Patris æterna progenies cælo delaberetur in terras, Humanitatemque ſanciendæ Pacis ergo adſciſceret, ſummam ſuam erga miſeros homines demonſtraturus φιλανθρωπίαν ac beneficientiam; pacatum ac tranquillum ex maximis bellorum motibus juſſit omnem eſſe Orbem: Jani templo pacis bellique pignore, rara inter Romanos felicitate, per Auguſtum clauſo.

Atque hoc, quod contendo, ita clarum ac manifeſtum eſt, omniumque ſæculorum experientia comprobatum, ut

nullam nationem , nullam gentem exſtitiſſe reperias, quam, ceſſantibus vel interquieſcentibus armis, Pacis benignitas non applicuerit ad mitiorem ac cultiorem vitæ uſum, inque Humanitatis penetralia, leni quaſi manu, nec opinantem deduxerit. Teſtes nobis ſunt Iſraëlitæ, qui primum per ſolitudines Arabiæ, dein in ipſa Palæſtina perpetuis bellis adverſus incolas atque vicinos conflictantes; horridi, inculti, & expertes politiorum diſciplinarum vitam tranſegerunt: pacata vero Salomonis ætate, tanto floruere proventu eruditorum Virorum, ſolertiumque in omni ſcientia artificum, quantum poſtea inter eos exſtitiſſe nunquam, credibile eſt. Quippe quorum opere manu atque conſilio Hierosolyma non tantum, reliquæque Palæſtinæ urbes omnibus ædificiorum ornamentis excultæ ſunt: verum etiam

ex-

exſtructa eſt ſplendidiſſima illa ædes, magnifica illa gloriæ divinæ arx atque ſedes; quod & miraculum, & gaudium totius orbis: norma certe & exemplar perfectiſſimæ architecturæ a poſterioribus ſæculis habitum eſt. Teſtes ſunt Chaldæi, Ægyptii, Medi atque Perſæ; qui victricibus armis, bellorumque impetu validas forte gentes debellarunt, magnas hominum ſtrages ediderunt, ingentes imperio terras adjecerunt, ſuperbas & opulentas urbes in poteſtatem redegerunt: at per amœna & fructuoſa Pacis tempora, cum artes atque diſciplinas tam gnaviter excoluerunt, ut reliquis omnibus populis copioſiſſimum earum mercatum præbuerint; tum egregia opera, mirificasque pyramidum moles excitarunt. Quorum alia miraculo ac invidiæ pluribus ſæculis fuere, alia etiamnum omnium ad-

mirationem habent, rerumque humanarum ætatem æquatura videntur. Testes porro ſunt Græci ac ſigillatim Athenienſes, qui a primis initiis, ut reliqui mortales, nondum neque naturali, neque civili jure deſcripto, fuſi per agros ac diſperſi vagabantur: rituque ferarum in ſylvis & luſtris vivebant, tantum habentes, quantum manu ac viribus per cædem ac vulnera aut eripere, aut retinere potuiſſent; donec eos primum Cecrops, deinde Minos atque Theſeus in ſocietatem redigerent: almaque Ceres, fida illa Pacis cultrix & antiſtes, Theſmophoriis ſeu Myſteriis, ut fabulæ ferunt, beaverit. Teſtes ſunt priſci Romani, quos rudes litterarum, carentesque omni humaniore cultu continua ſexcentorum fere annorum bella exercebant; per quæ pila mittere, gladios ſtringere, haſtas vibrare, & ut Poëta canit:

Pa-

Parcere ſubjectis, ac debellare ſuperbos;

Ipſis non tantum *artes* erant atque ſtudia: verum eo progrediebatur intonſæ aſperitatis ſeveritas, ut SCto, Cenſorioque edicto Rhetorices uſu interdiceretur adoleſcentibus, lataque lege pellerentur, quicunque Philoſophiam & Oratoriam profitebantur. Sed ubi e bello Punico ſecundo quies aliqua armiferis obtigiſſet viris; extemplo, ut ille ait: *Muſa pennato gradu intulit ſe bellicoſam in Romuli gentem, Urbique ſapere cum pipere dedit & palmis*: Ennio primum, deinde Terentio, a Catone, Africano ac Lælio adamatis Romamque perductis. Ab iis namque, quaſi lumen aliquod Humanitatis accenſum eſt, quod maximo ſplendore univerſam mox pervaſit Italiam, eximiaque ſua ac ſingulari pulchritudine omnes generoſos cepit animos. Unde

Unde poſtea feliciſſimo Auguſti ævo in luculentiſſimam ſe diffudit eruditionis & elegantiæ flamam, quæ totum illuſtravit orbem. Teſtes ſunt in extremo Oriente Seres ſeu Sinenſes, quorum in media barbarie vicinarum gentium ea traduntur eſſe opera, & ab ingenio, & ab arte profecta, ut cana annalium vetuſtate omnia antiquiſſimorum populorum monumenta ſuperent: inventis vero artibus ac diſciplinis omnes nationes, priſcas, & hodiernas longe antevertant. Quæ bona unice beneficio diuturnæ & inconcuſſæ Pacis conſecuti ſunt. Teſtes denique ſunt plerique omnes Europæi, qui olim a cultioribus populis, ut erant, barbari habebantur & dicebantur: ſolis armorum ſtudiis, venationibus, agrorum pecorumque culturis intenti: ignorantes arcana litterarun. Exin vero aliquo earum

rum ſplendore colluſtrati, intercedentibus ſubinde Pacis temporibus, primum difficulter ac male, poſtea felicius commodiuſque priſtinam Græcorum ac Romanorum Humanitatem æmulari atque referre cœperunt. Quam lucem noſtra, avorumque noſtrorum memoria ad eum claritatis apicem progreſſam, in ultimosque Septentriones penetraſſe videmus: ut Roma & Athenæ vix quicquam habuerint, ſive in cultu litterarum, ſive in elegantia morum atque habitus, ſive in præſtantia operum, quo Orbem noſtrum male poſſint urere.

Atque hoc, quod ego dico, videntur mihi acutiſſimi ſapientiæ fabularis conditores arguto concluſiſſe involucro. Fingunt enim terram omnem initio fuiſſe aquis obductam: emerſiſſe primum Atticam, cujus amœnitate captos con-

tendiſſe de conſtituendæ civitatis nomine Neptunum & Minervam: Jovi complacitum, ejus fore principatum, qui pulcherrimum atque utiliſſimum humano generi munus edidiſſet. Tum quidem Neptunum bellatorem produxiſſe equum; vel ut alii volunt, fluctum excitaſſe marinum: Minervam vero florentem cum fructu produxiſſe oleam, quæ omnium prima in terris edita dicitur. Quare judicio vel Jovis, vel Cecropis ſuperiorem, urbem ea in terra condidiſſe, eamque e nomine ſuo Athenas appellatam ex eo perpetua in tutela habuiſſe. Qua in fabula neſcio ſane, an veſtigia majoris etiam veritatis lateant: nam ut columba a Noacho emiſſa, olivæque cum frutice ad ipſum rediens decreſcentium aquarum, remiſſæque iræ divinæ exoptata index erat & nuncia; ita certe olea apud omnes

fere

ſere gentes Pacis, lenitatis, otii, rerumque florentium ſymbolum fuit. E ſacris, inſtinctu inflatuque divino prolatis Oraculis cuivis id ad oculum patere poteſt. Quare flamines antiquitus, omnesque rei ſacræ operantes: præterea qui veniæ rogandæ, aut pacis petendæ gratia oratores mittebantur; vel olea coronati erant, vel ramos ex ea arbore, vittis interdum obligatos manu prætendebant: inprimis autem ſupplices, ut inviolabiles haberentur.

Jam vero pacifera illa oliva, ut Virgilio dicitur, a Minerva, quæ litterati ocii, omniumque artium liberalium benigniſſima inventrix atque patrona perhibetur; electa & producta eſt, cum unas Athenas, ſacrarium illud eruditionis, ac domicilium omnis elegantiæ ſuo munire vellet præſidio. Ut palam

facerent doctissimi homines, omnes cum artes præstantesque doctrinas oleo ac lucubrationibus indigere: tum magis etiam, perpoliendis ingeniis, excolendisque artibus, quæ ad Humanitatem pertinent, pacem necessariam esse ac securitatem. Quantopere enim Minerva, licet hasta, clypeo & galea armata pacem amet, eaque delectetur, significasse videntur ipsæ Amazones, nobiles illæ bellatrices; quæ in Laconica Pallados Ἀστρατείας templum posuerunt.

Nec temere, vel ad delectandos puerorum tantum animos credamus ab Homero, sapientissimo veteris ævi homine, tam operose describi antrum illud Nympharum in Ithaca, in ejusque introitu passis ramis collocari olivam. Teste namque Porphyrio, antrum illud mundi typus est: & felix illa Palladis arbor pacem notat ac concordiam,

a ſapientia divina profectam, qua contineri totam hanc Univerſitatem patet. Quemadmodum & Lacedæmonii, devicto Xerxe, Euribadi coronam fortitudinis dederunt: at Themiſtocli ſapientiæ præmium, oleaginam. Quare veritas apud Lucianum ſcriptorem lepidiſſimum ait: eum, qui inventus fuerit legitimus philoſophiæ alumnus, olea redimitum iri. Nam Veteres eam quoque ſacram fecerunt & Jovi, & Herculi Muſagetæ, & Apollini. Fabulantur enim Latonam apud hanc arborem primum quieviſſe: atque ita tactis duabus plantis, olea & palma, Jovi poſtea gemellos enixam eſſe Dianam & Apollinem: documento ad colendas artes atque ſcientias induſtria opus eſſe, labore, pace.

Quanta vero vis ſit in Pace ad alendam augendamque Humanitatem, & viciſſim in hujus ſtudiis ad concili-

andam firmandamque Pacem ac concordiam, venuſto Symbolo nobis exprimit caduceum Mercurii, quod multis argumentum fuit & inſigne Pacis: Mercurius enim non eloquentiæ tantum & mercaturis; ſed & Paci præeſt. Quemadmodum Ægyptiis, qui huic omnes etiam bonas artes tribuunt, inter hieroglyphica ſymbola erat Deus Anubis, Mercurium referens; qui canis cervices duas attollens, læva caduceum, dextra palmam gerebat virentem. Complexus namque anguium in caduceo notat concordiam, quæ inter diſſidentes & efferatos animos, virtute rationis atque orationis, tanquam ligno interjecto coaleſcit.

Quæ cuncta ſi perſpicerent Reges ac Principes, eorumque virtus animi, ut Salluſtius inquit, in Pace ita, ut in bello valeret; æquabilius atque conſtantius ſeſe haberent res humanæ: neque mutari

tari

tari ac miſceri peſtiferis bellis omnia cerneres. Sapientiſſimi certe optimique, quibus æquitas, ſanctitas, religio & ſalus populi cordi erant; pacis, quam bellorum ſemper amantiores fuerunt: nec ad arma, niſi conſervandæ vel reſtituendæ Pacis cauſſa, ac difficulter deſcenderunt. Talis fuit inter Romanos Reges prudentiſſimus ille, ac religioſiſſimus Numa Pompilius ramis inſignis olivæ; qui conditis optimis legibus, conſtitutisque cæremoniis, Pacis ſtudio agreſtem & ferocem mitigavit populum: atque ita non minora duraturi imperii fundamenta poſuit, quam Romulus diſciplina militari, rebusque fortiter geſtis.

Quid reputemus enim? Duo ſunt, quibus extulit ingens
Roma caput, virtus belli & ſapientia Pacis.

Ut ſcienter admodum cecinit, non

infi

infimi ſpiritus vates Sulpicia. Nam quid proderat diſſipatos palanteſque homines in civitatem congregaſſe, niſi congregatos Humanitas ipſos ex feritate illa ad juſtitiam atque manſuetudinem traduceret, traductosque ad hanc vitam humanitate perpolitam, Pax ipſos in ſocietate & charitate contineret? Talis fuit generoſiſſimus ac libertatis amantiſſimus Thraſybulus, qui cum patriam ſuam Athenas a triginta oppreſſam tyrannis, atrociſſima ſervitute liberaſſet; nihil prius nec antiquius habuit, quam ut, pace reconciliata, ſaluberrimam illam Αμνηστίας, ſeu Oblivionis legem ferret: ac ipſe oleagina corona donatus plus amoris, quam metus a civibus reciperet. Talis fuit & Cæſar Octavianus Auguſtus, qui rerum potens omni contentione id egit, ut quorumvis bellorum flamam in imperio Romano reſtingueret

ret, qui & aram Paci primus erexiſſe traditur, quam M. Agrippa laborum ac conſiliorum ejus ſocius poſtea auxit ornavitque. Cujus prudentiæ, pacificique ingenii hunc quoque fructum tulit Princeps πολιτικώτατος, ut vere gloriari poſſet, Urbem lateritiam a ſe repertam, marmoream relinqui: artesque ac ſcientias ſuis temporibus ad eum evectas eſſe perfectionis gradum, quo ſublimior nullus fuit. Uti hanc rem ſcitiſſimo emblemate exhibet nummus in honorem ipſius cuſus; in quo conſpicitur Pax ſedens, dextra cornu copiæ, & ſiniſtra caduceum Mercurii continens, hac inſcriptione: PAX AUGUSTI.

Atque hanc Pacis præſtantiam viderunt e multis nonulli alii: quales fuerunt M. Antoninus Philoſophus, Martianus ac Leo Jmperatores. Vidit hoc ipſe inter barbaros excellenti ingenio vir Theodo-

cus Gothorum Rex, cujus hæc apud Caſſiodorum notabilia ſunt verba, ſcripta Anaſtaſio Jmperatori. *Oportet nos pacem quærere: hæc enim eſt bonarum artium mater: hæc mortalium genus reparabili ſucceſſione multiplicat, facultates protendit, mores excolit. Et tantarum rerum ignarus agnoſcitur, qui eam minime quæſiſſe ſentitur.* Vidit hoc nobiliſſimus fortiſſimusque Imperator Carolus Magnus; qui cum triumphos triumphis cumulare poſſet, quovis modo quærebat Pacem, qua populis imperio ſuo ſubjectis augeret Humanitatem, pietatem & eruditionem. Et invenit ſerio expetitam ſibi feliciſſimus Princeps, cumque ea quicquid ubique proſperitatis erat, Orbi Europæo reddidit. Vidit hoc ipſum præſtantiſſimus ac ſapientiſſimus Arragoniæ Rex Alphonſus: & quid illius non vidit ſolertia? qui nulla de cauſa bellis defungi tantopere

pere cupiebat, quam ut Muſas in otio ſanctius coleret, quam in caſtris. Viderunt id, hoc certe tempore ſi unquam, plerique omnes Europæ Principes, quorum conſilia poſt tam grave, difficile ac diuturnum bellum, tandem ad opus Pacis, quod proximis diebus, adjutante Deo, feliciter ad finem perductum eſt, converſa ſunt.

Pax etenim eſt ſol, & vitalis quidam ſpiritus, quo cuncta, quæ bona dicuntur inter homines, novum quaſi vigorem recipiunt, foventur atque nutriuntur. Pax eſt aurea illa catena, quam Poetæ fingunt e cælo in terras dimiſſam; quæ omnium virtutum copulam habet ſibi mutuo inhærentium. Pax eſt ſerenitas mentis, animi tranquillitas, amoris vinculum, conſortium charitatis. Pace non modo ii, quibus natura ſenſum dedit, ut ait Cicero: ſed

etiam tecta atque agri lætari videntur. In Pace præmia constant litteris, & bonæ menti honores. Quod Symmachus florentis Reipublicæ specimen esse dixit, si disciplinarum professoribus opulenta pendantur stipendia: fieri enim non potest, ut monet Tacitus, quin sublatis studiorum commodis, ipsa etiam studia pereant.

Huc ergo haud dubie respexerunt veteres illi, a quibus Pax ea effingebatur forma, ut spicam teneret: & oliva, interdum etiam rosa, vel lauro caput cincta esset. Quemadmodum & Pausanias refert in Atticis, quodam in loco apud Athenienses Plutonis fuisse statuam, qui puer a Pace nutrice portabatur. Nec minus hanc rem ad animum revocasse videntur illi, qui Pacem inter Numina retulerunt, ipsamque divinis honoribus atque cæremoniis affe-

ce-

cerunt. Ita apud Athenienſes Paci aræ conſtitutæ ſunt, dicatumque eſt pulvinar, poſt ſuperatos a Timotheo Lacones, ut tradit Nepos in vita ejus. Quamvis Plutarchus ſcribat, Pacis aras poſitas eſſe, poſt victoriam Cimonis ad Eurymedonta, cum conditionis Pacis Callias legatus Athenas a Perſis attuliſſet. Romani priſcæ ſeveritatis homines, etſi menti ædem in Capitolio voverint; bellis tamen innutriti & immorientes, Pacem ſero cœperunt colere. Tum vero quanti ipſam, ejusque bona fecerint, non obſcure declararunt, die feſto conſtituto, quo ſacra fierent tribus his tranquillis Numinibus, Jano, Paci ac Saluti. Nam quod Janus conjungatur cum Pace, facile intelliget, quo pertineat; qui cogitaverit Pacem clauſo ejus templo non tantum amanter ſolliciteque contineri: verum etiam ip-

ſum Deum ideo pictum eſſe bifrontem, quia, ut notat Plutarchus, ferum illum & ſylveſtrem primorum hominum cultum in urbanum civilemque commutaverat.

Pacem itaque ſi tollas ex orbe litterato, ſolem e mundo ſuſtuleris. Dilabentur, ac ſepulta jacebunt cuncta, fœdo ſqualore, ſitu & illuvie obducta. Etenim, quod Plato de Adoniis hortis dicere ſolitus eſt, eos quidem voluptatis & amœnitatis refertiſſimos citiſſime naſci: multo vero citius, ſimulac vento aliquo tacti ſint, iterum defluere ac interire; idem ſtudiis Humanitatis ſimul atque belli aliqua tempeſtate affliguntur, accidere patet. Eſt quippe bellum peſtilens aliquod ſidus, quo afflatæ diſciplinæ marceſcunt & exſtinguuntur. Eſt tetra & immanis bellua, quæ cum ſævit in omnia, quæ pulchra ſunt & egregia:
tum

tum præcipue in litteras & artes. Musæ autem ſunt virgines, teneræ, molles ac delicatæ, quæ non tantum clangores tubarum, fulmina gladiorum, & dimicantium fugiunt tumultus: ſed & Martem ſolo nomine horreſcunt. Quare Poëtæ eas removerunt ab omni armorum ſtrepitu, ac collocarunt in amœnis ſeceſſibus Parnaſſi, Heliconis, Pindi, jugique Pïerii.

Quod ſi exemplis ex omni hiſtoriarum memoria repetitis probatum dare in præſentia vellem, quanta mala atque damna bellum perpetuo intulerit ſtudiis litterarum; merito vererer, ne me veſtra prius, Auditores, attentio, quæ tamen ſumma eſt, quam materiæ copia deficiat. Tantum ergo, quod argumenti ratio poſtulat, ſumma rerum capita attingam, & oſtendam, quomodo auguſtum illud Humanitatis templum

plum per bella ita funditus deletum, exciſum ac vaſtatum ſit, ut ejus vix rudera atque parietinæ aliquæ ſuperfuerint. Adeo ut, ſi infernæ Furiæ præſentiſſimum litteris venenum miſcere concupiſſent; nullum ego quidem præſentius, neque atrocius bello inveniri potuiſſe crediderim. Quid enim, niſi bella fuerunt, quæ aboleverint antiquiſſima litterarum ſacra, totque reconditarum artium gazas, quibus excelluerunt, & Phœnices, & Chaldæi ,& Iſraelitæ, & Ægyptii, & Medi, & Perſæ? Quid, niſi bella fuerunt, quæ Græciam matrem omnis elegantiæ, nutricem humanitatis, compendium eruditionis ita deformarint, ſuisque diſpoliarint ornamentis, ut Græciam in Græcia fruſtra quæras? Quid porro, niſi bella fuerunt, quæ in ea Athenas, unicum illud omnis ſapientiæ domicilium, Athenas clariſ-

ſimum illud mundi lumen, Athenas copioſiſſimum ſcientiarum emporium ita diſturbaverint, exſtinxerint, proſtraverint, verterint, ut nulla Scylla, nulla Charybdis immani hiatu planius, aut plenius quippiam abſorbſerit ac devoraverit.

Et quis jam mecum commigranteis inde in Italiam Muſas ſequatur; qui non ſimul cum dolore & ægrimonia animadvertat, exigui admodum temporis lætum illud, ac tranquillum exſtitiſſe hoſpitium: ſtatim vero ipſas iiſdem bellorum procellis obrutas fuiſſe, diſjectas atque oppreſſas? Non memorabo jam exitiales illos civilium diſcordiarum tumultus, qui cum optimos illis fidiſſimosque patronos eriperent, tum pretium ac venerationem earum haud mediocriter imminuebant. Non perſequar hic continua illa, & aſperri-

ma adverſus Parthos, Germanos, Dacos, Brittannos aliasque gentes bella, quibus plurimi a ſacris Muſarum avocabantur, peregrinisque moribus & verbis imbuebantur. Non demonſtrabo Principes e media barbarie per inſolentiam bellorum, bellantiumque ad ſummam rerum admotos: externos homines præcipuis imperiis ac magiſtratibus ornatos: agmina alienarum gentium in auxilium vocata, mediamque in Italiam fuiſſe recepta. Per quæ quantopere pudicitia noſtrarum Dearum contaminata: opes attritæ: ac dignitas conculcata ſit, quivis facile æſtimare poteſt. Tantum dicam, nec ſine horrore & perturbatione animi dicam noviſſima mala, quæ eas afflixerint, exederint, tandemque pallidas & exſangues reliquerint.

At quæ fuerunt illa? non Martis vis & fu-

& furor tralaticius, qualem jam sæpe senserant sustinuerantque: sed dira ejusmodi rabies & immanitas, ut si vel sexcentæ Erinnyes orco emissæ, Tartareique Phlegethontis facibus armatæ, in exitium earum conjurassent, gravioribus illas ærumnis afflictare non potuissent. Quid enim? Insano cum impetu, confractis quasi, convulsisque repagulis, infestant atque dilacerant imperium Romanum innumerabiles catervæ ferocissimarum gentium, quas natura edidit, sol adspexit: Gothi, Vandali, Hunni, Bulgari, Quadi, Heruli, Longobardi, quosque plures barbaros, ac barbaris nominibus distinctos protrusit, vagina illa ferarum gentium, Arctos. Non levem hic aliquis cladem, brevique decessuram cogitet inundationem: sed diluvium aliquod universale, quod omnia occupavit, opplevit, eruit. Alias ingruen-

tibus bellis, oræ certe quædam immunes ab illo contagio exſtitere, quo expulſæ Muſæ avolarent. Nunc vero, qua patebat orbis Romanus, barbaris his omnia tenentibus, dum Perſæ & Saraceni premerent orientem, indagine quaſi concluſis nulla dabatur effugiendi via: ſed ſub cruento Martis gladio erat fatiſcendum. Quis itaque miretur, quicquid aliquam habebat Humanitatis ſpeciem, id omne ſublatum & corruptum fuiſſe; cum hi non, ut olim Galli Senones, vel ut Cimbri ac Teutones, terras Romanas invaderent, agrisque devaſtatis, oppidis captis, præda onuſti ad ſuos reverterentur: ſed totos quadringentos per annos Italiam inſiderent, regnisque conſtitutis, arbitrium rerum per plures Gothorum ac Longobardorum reges ad poſteros tranſmitterent?

Quis vero ſigillatim explicet omnes

illas malorum facies: horrendas cædes, direptiones bonorum, excisas urbes, expilata fana ac templa, concrematos libros, exustas ædes, diruta atque dejecta nobilissima opera, quorum cadavera hoc etiam die admirationem, simulque commiserationem sui adspicientibus injiciunt? Quis hic etiam non agnoscat præcipuam providentiæ divinæ bonitatem, ullos adhuc veteres superesse auctores: ac veluti pauculas ex horrendo illo naufragio enatasse tabulas; cum hi barbari in quascunque bibliothecas inciderent, libros comportatos, tanquam inutilem & vilem prædam comburerent? O fundi litterarii calamitatem maximam! O Humanitatis damnum irreparabile! O bellum, bellum pestem litterarum certissimam!

Hinc jam postea videas barbariem late per omnem orbem grassantem, &

quicquid fuerat pietatis, eruditionis, elegantiæ, bonique ſaporis plus quam Cimmeriis ignorantiæ tenebris obrutum. Nulla profecto fuit ars, nulla ſcientia, quam hoc malum non pervaſit atque ita pervertit, ut e priſtina forma præter nomen nihil retineret. Et quanquam Carolus Magnus, ejusque poſteri ſedulo laborarint in recreandis litteris, nihil vel parum admodum efficere potuerunt, omnibus ita collapſis ac deperditis, ut vi humana reſtitui non poſſe viderentur: bellis quoque ſubinde Europam concutientibus, quæ vel Saraceni, vel Saxones, vel Normanni concitarant: vel interna inter Principes diſſidia, vel magis etiam Papales furiæ. Donec Deo Humanitatis auctori, ſtatori ac vindici, jam abhinc duobus tribusve ſeculis, viſum fuit miſereri caligantis humani generis, lucemque litterarum e tenebris reducere:
quam

quam inter nos hac etiam die coruſcantem contemplari licet.

Nos igitur Auditores; cum in id temporis ætas noſtra inciderit, quo diſcuſſis belli nebulis, ſerena Pacis lux refulſit, de tam ingenti bono nobis gratulemur, Deoque gratias agamus maximas; tum id ad ejus honorem & gloriam convertamus. Nam ut maris cælique temperiem turbines tempeſtateſque commendant; ita ad augendam Pacis hujus gratiam, calamitoſiſſimi illius belli tantum tumultum præceſſiſſe putemus. Quod ſi ergo vobis probatum exiſtimetis, quod intenderam, Pacem eſſe nutricem Humanitatis; in hujus quæſo ſtudia, dum hæc alcedonia atque malaciæ excipiunt rabidas bellorum procellas, toto animo, mente, cogitatione, omnibuſque viribus incumbite: tum liberos veſtros, cariſſima illa pignora conſe-

crare

crare iis artibus, quarum tantam videtis esse præstantiam & utilitatem, ne dubitetis. Intellexistis, in quanto pretio, & veneratione mihi sit Humanitas; pro eo animo bene de prole vestra mereri non defatigabor. Spem de me & informatione mea conceptam, ut adimpleam, manibus pedibusque obnixe faciam omnia.

Verum licet omnis mea hodie in laudanda & Pace, & Humanitate, quam utramque animo meo carissimam perpetuo habui, versata sit Oratio; tamen ne credatis inepta me facilitate & indulgentia vestros tractaturum liberos. Quo quidem malo rei Scholasticæ nihil pejus, nihil fieri potest damnosius. Leni me esse, ac mansueto ingenio norunt, quotquot me norunt: non ita nihilominus, ut in vitiis discipulorum connivеam, pœnasque averser, quas adolescen-

ſcenti utiles nonnunquam eſſe, atque neceſſarias monet ratio, monet & ipſa ſuprema Sapientia. Prudentiſſimum equidem magnanimi Epaminondæ dictum eſt: *paritur Pax bello.* Nam, uti nos tot jam annos, quod ſapientiæ eſt, Pacis cauſſa bellum geſſimus, & labores ſpe otii ſuſtinuimus; ita certe nec Pax, nec Humanitas in Scholis, hac juventutis pravitate, ſine pœnis & caſtigationibus conſervari poteſt. Neque ab hoc ſenſu alienos eſſe vos, Leovardienſes, non leviter adumbratum, ſed expreſſum ſignum mihi fuit illa, quam ante triduum januæ alicui in hac Curia præſcriptam legi, nec ſine voluptate legi ſententiam; quippe quæ talis eſt, ut illa non ſymbolum modo Civitatis veſtræ videatur continere: ſed etiam memoria dignam Reipublicæ capeſſendæ, atque Scholæ adminiſtrandæ aucto-

ritatem disciplinamque præscribere. Etenim, cum vos ita statueritis rem gerendam esse: PACE ET JUSTITIA, fieri non potest, quin divinior aliqua mens vos agitaverit. Nam, ut cœlestis beneficii est, siquando Pax & Justitia se invicem amplexentur; ita Pax eleganter a Pindaro vocatur justitiæ ὁμότροπος, id est, iisdem moribus prædita, & alibi, tranquillitas justitiæ filia.

In Schola autem, quæ parvæ civitatis instar est, justitiam quoque servandam esse; & ut præmia bonis, ita pœnas malis distribuendas esse, quis non videt? Id certe judicavit inclytus atque eruditus ille Frisius, Viglius Zuichemus ab Aita, qui ad Carolum V. Imperatorem scripsisse legitur, omnibus non tantum judiciis, tribunalibus & curiis: sed & Scholis appingendum esse hunc Virgilii versum.

Di-

Discite justitiam moniti, & non temnere divos.

Dum nimis, credite mihi, frenum laxatur juventuti, plus satis alioquin ferocienti via sternitur ad interitum expeditissima. Auriga nimium remittens habenas, & equos, & semet ipsum lædit ac corrumpit. Ut enim e disciplinæ sinu omnes manant triumphi, teste Valerio Maximo: sic e laxioris disciplinæ sinu, omnes manant calamitates ac miseriæ. Quod si remissior ea postuletur, & peccata discipulorum impunita dimittantur, vel parentum ac propinquorum precibus condonentur; ilicet, actum est de Schola vestra, nec ipsa, si cupiat, Salus eam servare possit! Atque hæc pestis est, quæ tot egregias Scholas & Academias perdidit: tot bonos præceptores inutiles, suæque Spartæ ineptos reddidit. Unicum exemplum sit Schola Berytiensis, quæ olim audiebat legum nu-

trix, totius Phœniciæ phœnix, orbis Romani musæum, justitiæ tribunal augustissimum: sed nimia indulgentia in omne scelus & injustitiam, in nequitiam & effrenem degeneravit petulantiam: atque ita inopinatum sibi concitavit exitium. Necessariæ itaque disciplinæ & animadversioni liberos vestros ne subducatis: imo eam ægre ne feratis: sed ultro probetis ac laudetis. Ita & in liberos vestros, & in Scholam vestram optume consuletis: & nobis muneris nostri partes non reddetis acerbas, vel inutiles.

Vobis autem, Nobilissimi & Amplissimi hujus Urbis Proceres, non habendas, nec agendas tantum: sed referendas immortaleis a me esse gratias, quid ego profitear? Quis enim, vel me tacente, id non videt? Me miserum vero, si vel tralaticiis, vel multa

cura

cura exquiſitis gratiarum agendarum formulis, digne, plene, ac legitime pro tanto munere ſatiſſieri Vobis a me poſſe exiſtimem! Ab inani verborum apparatu candorem veſtrum, & modeſtiam abhorrere perſuaſum habeo. Unum Vobis in votis, unum eſſe in deliciis perſpexiſſe mihi videor: veſtri ſcilicet Gymnaſii ſalutis procurandæ ſtudium & ratio. Hæc ego ſequar: his mihi prius nec antiquius nihil quicquam erit. Adverſarias quidem graves, easque plures mihi conſtitutas video: meritorum veſtrorum in me magnitudinem: Urbis Gymnaſiique decus ac celebritatem: exſpectationem incredibilem: facultatum & copiarum mearum tenuitatem. Quæ cuncta nulla, niſi una re ſuperari a me poſſe confido; ſi quicquid in me eſt vel notitiæ, vel dexteritatis, id in commodum juventutis veſtræ ſedulo

conferam: ac notabilis ad id ut fiat acceſſio, nihil reliqui faciam.

Neque vero, Reverendi atque Eruditiſſimi Viri, quibus juxta me Scholarum cura mandata eſt, id mihi negligendum putabo, ut me favore & amicitia veſtra dignum præſtem. Vos quicquid ejus eſt, mihi ne denegetis, precor etiam atque etiam. Ego quantum in me eſt, omnibus Humanitatis officiis, auctoritati obſecundando, conſiliis ſalubribus morem gerendo, Vos colam, venerabor ac ſuſpiciam.

Vos quoque, Collegæ Doctiſſimi & Vigilantiſſimi, non ſalutatos dimittere vetat arctiſſima illa, quæ inter nos intercedat, oportet, neceſſitudo; cujus ſancta jura inviolata ut ſervemus, vos rogo & obteſtor. Pacis ſtudioſum me eſſe, amantem Humanitatis, cum præſens hæc oratio; tum vel

inprimis hactenus exactæ, & in posterum exigendæ, vitæ meæ cursus ac ratio Vobis declarent, volo. Sortis conditionem experti nostræ, ad continendam protervam juventutem auctoritate novistis nihil esse aptius, nihil efficacius. Hæc vero vilescat, necesse est, & intereat, ubi Collega Collegam vel calumniis ac maledictis clanculum mordet, vel conviciis palam insectatur.

Tandem ut vela contraham, quid reliquum est, nisi ut vos, præstantissimi Adolescentes, carissima mihi capita, compellem? Brevibus tamen id conficere annitar: tantas enim ipsius Humanitatis dotes esse & illecebras existimo, ut nullis ego indigeam verborum lenociniis, vel mellitis globulis, ad Vos inflamandos atque exhortandos. Quæcunque namque in hac vita suavia, vel expetenda sunt hominibus, ea in

Vos abunde conferet hæc ipſa Humanitas, virtutis fautrix, pietatis procreatrix. Ejus *ſtudia*, ut præclare Cicero: *adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectant: ſecundas res ornant, adverſis perfugium ac ſolatium præbent: delectant domi, non impediunt foris: pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur.* Hoc erat, quare Minerva, ut eſt in fabulis, judice ipſo Jove, merito ſapiens diceretur, & ſapientiæ præſes; quod olivam legiſſet, quæ ſua in tutela eſſet, cæteris Diis ſteriles ſumentibus arbores.

Quod ſi ulla tempora ſedulam hujus Humanitatis curam poſtulant, næ eam requirit hæc dies: *in turbis quippe ac diſcordiis*, ut docet Tacitus, *peſſimo cuique plurima vis: Pax & quies bonis artibus indigent.* Alacri itaque animo graduque contendatis ad amœnum eruditionis verticem; quo facile pervenietis, comites vobis ſi ad-

ſi adſciſcatis duas illas Sorores, quas Cebes adſcendentibus ad ſapientiæ templum manus porrigere memorat, continentiam nempe ac tolerantiam. Labore opus eſt, ſine quo nihil præclari a mortalibus effici poteſt: ſed inprimis litterarum ſacra conſtare nequeunt. E rupe ſcilicet florentem Minerva cum fructu oleam produxit. Unum & hoc vos moneo; ſpes veſtras, ut ille ait, ambitioni ne donetis: ſed ſevera lege proficere animus ſit. Olea, dilecta illa Palladis arbor, haud invenuſte adhibebatur ab antiquis ad coronandos mortuos, vel inducendas ſepulchris umbras; propterea quod, cum cupreſſo lauroque, ſemper virentem alit frondem, nec caduca dimittit folia: ſed ſimul radices agit longius; quare e lege Gelonis novem ab alieno agro pedes ſerenda erat. Quid ergo? non ſedendi hic, aut cun-

ctan

ctandi tempus. Occasio brevis, elapsam semel ne ipse possit Jupiter reprehendere. Commodis ego vestris, omni cum animi impetu, consulam: via vos ducam amœna, facili, & plana. Vos tantum mihi vicem rependatis, præstando debitum obsequium. Valeant igitur, quibus alias res sectari volupe est, quique se falsis duci ac lactari patiuntur gaudiis. Sibi habeant instrumenta sordidarum voluptatum: sibi luxuriæ apparatus: sibi congestas divitias: sibi lubricos favores & instabiles honores. Supra vulgus sapiatis, ac præstetis Vos adolescentes,

— — —quibus arte benigna,
Et meliore luto finxit præcordia Titan.

Ut ita studiorum hoc, vitæque curriculum emensi ad beatas cœlestium sedes læti transferamini.

D I X I.

62